Instructio ad visitandas septem eccle-
sias Cracoviae.

JNSTRVCTIO AD VISITANDAS Septem Ecclesias Cracouiæ.

SEV

Modus, quo Septem Cracouienses Ecclesiæ, Indulgentijs Stationum Septem Romanæ Vrbis Ecclesiarum S. D. N. PAVLI V. Pont. Max. Liberalitate, & Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini MARTINI SZYSZKOWSKI, eiusdem Vrbis Episcopi & Seueriensis Ducis Cura, recens exornatæ, visitari debent.

Iussu & mandato eiusdem Illustriss: & Reuerend: Antistitis Cracouien. typis mandatus.





CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Francisci Cesarij.
(1621)

MARTINVS SZYSZKOWSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia EPISCOPVS CRACOVIEN: DVX SEVERIENSIS.

Piis Fidelibus Salutem in Domino.



NTER plurima pietatis exercitia, Fidelibus, ab ipsis exordijs nascentis Ecclesiæ, consueta, non postremum locum tenet pia & deuota locorum memoria vitæ & passionis Christi, vel Sanctorum eius celebrium, visitatio; Rei istius testis est tota Catholica antiquitas, plenique exemplis talibus Ecclesiastici Annales. Sed cùm maximæ parti Fidelium, ætas occupationes, vitæ conditio, & alia his similia, impedimento essent, ne loca illa vestigiis Domini & Saluatoris nostri, Sanctorumque illius, nobilitata, reipsa adire possent; amor in Redemptorem, & pius affectus venerationis in SS. effecit, vt domi haberetur id, quo tanta locorum distātia foris frui non permittebat.

Antiqua cōsuetudo visitandi loca pia.

Origo visitandi Ecclesias & altaria.

Quare in memoriam locorum illorum, Christi vestigiis vel gestis SS. illustrium, Templa varia, Sacella, Oratoria, Altaria deniq; ipsa non vestigiis mortalis adhuc Saluatoris, sed præsentia iam immortalis & gloriosi, realiter per sacrificia Missæ toties ibi existentis consecrata, in eandem memoriam ipsius & SS. illius, veluti arcus quosdam triumphales, & columnas ad perpetuo reuocanda in mentem beneficia in nos inde deriuata, erecta, adire & visitare religiose cæperunt; offerentes ei, pro tantis in nos, per mortem suam & per Sāctos suos, collatis beneficiis, sacrificium laudis, & in pænitentia peccatorum cor contritum & humiliatum. Adorantes in spiritu & veritate, ad illa Templa, Oratoria, Altaria, non aliter ac si adorassent in locis illis vbi steterūt pedes eius in terra adhuc cum homi-

 nibus

nibus conuersantis. Hinc (ommissis aliis nunc causis) in Catholica Ecclesia Processiones, & in diuersis Templis tot Stationes, à tot sæculorum memoria ad nostra vsque tempora obseruatæ.

Septem Ecclesiarum Vrbis celebritas.

Celebres sunt hoc nomine in toto Christiano orbe Ecclesiæ plurimæ; sed inter has omnes, Septem Romanæ, tanquam Vrbis & Orbis in genere hoc præcipuæ, principem locum tenent, Ecclesia nimirum SS. Petri in Vaticano, S. Pauli via Ostiensi, S. Sebastiani ad Catatumbas, Saluatoris vulgò S. Ioannis in Laterano, S. Crucis in Hierusalem, S. Laurentij extra muros, Beatiss. Virg. in Exquiliis Maioris vulgò dictæ; quas fideles ex toto orbe, ad vrbem Ecclesiæ & orbis caput, vndique religionis causa confluentes, piè & religiosè vna cum incolis Romanis visitant, & plurima indulgentiarum lucra reportant.

Videntes enim Summi Pontifices Septem nimirum illas Ecclesias, partim memoria Passionis Christi, partim deuotionis SS. quorum in illis plurima sacra corpora requiescunt, partim venerationis erga sedem Apostolicam, & amorem erga vnitatem S. Ecclesiæ, (ad quam repræsentandam, titulis Patriarchalibus, quinque ex illis septem Ecclesiis exornauerant) tanta cum pietate ac religione coli & visitari, magnis valde indulgentiarum thesauris ea loca dotarunt & ornarunt; vt & incolis liberalitas illa spiritualis incitamento esset, ad sæpius rememorandum redemptionis nostræ beneficium, & Sanctorum consideranda vitæ exempla, & eorũ insistendum vestigijs; & peregrini maius suæ peregrinationis præmium reportarent; & vtrique in vinculo vnionis S. charitate, tanquam vnius corporis, sub vno capite membra, magis crescerent proficiendo, mutuis pietatis exemplis se ad id quotidie incitantes.

Causa & finis Septem Ecclesiarũ Cracouiæ.

Magnum est istud insigneq; Vrbis illius nobilissimæ, matris & capitis orbis totius ornamentum; magnum inter tot & tanta, quæ in ea sunt, ad fouẽdam & conseruandam pietatem media, medium & instrumentum. Quo (quantum ad Indulgentias & pium peregrinationis exercitium spectat) ne Vrbs quoque hæc celeberrima, Regni huius inclyti caput & mater, careret, pastoralis officij nostri memores, & fidelium populorum, vti ouium nobis à Domino concreditarum, salutis & perfectionis cupidi, bonoq; eorum spirituali, pro paruo nostro posse inuigilantes, accensi desiderio dilatandi cultum Diuinæ maiestatis, in Vrbe hac, cui licet immeritos Diuina prouidentia nos præfecit; optantesque hoc calamitoso Regni

Regni istius statu, ad pœnitentiam & detestationem peccatorum, fideles excitare, & parare Domino populum acceptabilem, & plebem perfectam non solum ab omni peccati macula, sed & à pœnarum pro eis debitarum (quas non semper vnà cum peccato remitti, sacra scriptura nos docet) obligatione liberam, studioque promouendi memoriam frequentem Dominicæ passionis, (ex cuius rememoratione plurima bona in nos promanant, & Diuinam maiestatem ad miserendum mouent) omnimodæq; in animis hominum pietatis, S. D. N. PAVLO Diuina prouidentia Papæ V. humiles porreximus preces, rogando vt Sua Sanctitas de plenitudine potestatis ligandi atque soluendi, à Christo Domino & Saluatore nostro Ecclesiæ sanctæ in Apostolo Petro & Successoribus eius relicta, Ecclesias septem per Nos in Vrbe hac designandas, ad instar septem Ecclesiarum Vrbis Romæ, Thesauris Indulgentiarum ac Remissionum exornare dignaretur; quas Indulgentias & peccatorum remissiones, Fideles Quicunque, Septem istas Ecclesias piè visitantes, consequi valerent, non aliter ac si Septem Ecclesias Romanæ vrbis, iisdem Priuilegiis decoratas personaliter adiissent.

Distulerat assensum præbere postulationi nostræ, tanquam prudens Thesaurorum Ecclesiæ Dei Dispensator Pontifex Summus: longiori, vt in re tanti momenti, deliberatione opus esse respondens; ne videlicet tanta beneficia, tamque preciosi thesauri, ob copiam ipsam eorum, æstimari minus quam par est inciperent; iteratis tamen supplicationibus nostris solicitatus, pro sua in Regnum hoc, Nos & Diœcesim nostrã, Vrbemque istam, paterna animi propensione, piis votis nostris benignè annuit, & totum id quod petebamus liberaliter concessit: ita tamen, vt ad septennium tantùm hæc concessio duraret; & interim spiritualis fructus concessionis huius se proderet, Beneficijque huius, tanta quantam esse res ipsa exigit, æstimatio, Sedi sanctæ constaret. Concessionis autem huius tenor est, qui sequitur.

PAVLVS

PAVLVS PP. V.

VNiuersis Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti. Omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus, qui Septem Ecclesias in Ciuitate Cracouiensi per Ordinarium Crac. semel tantùm designandas deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, vt omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum Remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si Septem Almæ Vrbis, & extra illius muros Ecclesias personaliter visitarent, Apostolica authoritate tenore præsentium in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Non obstante regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisq; contrariis quibuscunque. Præsentibus ad septennium tantùm

tùm

tùm valituris. Dat. Romæ, apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris. die xj. Iulij. M. DC. XX. Pōtificatus Nostri anno Decimosexto.

S. Car. S. Sus.

Quamuis autem in re hac certum terminum concessioni huic S. D N. præfixerit; nihilominus tamen spem Nobis speciali responso fecit, vlterioris & maioris S. Apostolicæ Sedis liberalitatis, si de spirituali fructu & pietatis, ex Priuilegio isto, in Vrbe hac incremento, eidem sanctæ Sedi constiterit.

Omnibus igitur tenore præsentium notum esse desideramus, Nos hanc concesionem S. D. N. Anno hoc Redemptoris, 1621. die 14 Febr. quæ erat Dominica Sexagesimæ, Diuino fretos auxilio, sub tempus Synodi Diœcesanæ per Nos tunc conuocatæ, ad effectum feliciter deduxisse, & Septem Ecclesias in instructione inferius positas, nominasse, Altariaque in eis à deuotis populis visitanda assignasse.

Quare mandauimus omnibus in Diœcesi nostra animarum curam gerentibus, vt suos quisq; subditos diligenter curent, ea omnia edocendos, quæ ad prædictarum Remissionum & Indulgentiarum intelligentiam, & earundem adipiscendarum præparationem fuerint opportuna, debita in eos pietatis & misericordiæ opera exercendo, iuxta breuem hanc Instructionem, quam (omissis iis quæ tam copiosè de Indulgentiarum certitudine, valore, eas dispensandi in Dei Catholica Ecclesia plenissima potestate, iam satis superque tot doctissimi Theologi, tam veteres quâm nostri huius sæculi, contra Nouatores scripserunt) de modo obtinendi easdem in visitatione harum Septem Ecclesiarum, typis vulgari iussimus. Longiorem pro iis, qui non ex debito & obligatione, sed ex propria & priuata deuotione ea vti voluerint, suo tempore imprimi mandaturi.

Monemus itaq; & hortamur omnes regimini nostro subiectos à Domino fideles, vt multitudinem peccatorum commissorum, & exiguam vel nullam pro eis satisfactionem, Diuinæ maiestati à se oblatam, Regni huius calamitates, dierum quibus ad mortem & districti examinis diem assiduè properamus, paucitatem: contra verò cælestem felicitatem, perpetuam æternamq; beatitudinem attentè considerantes, & animo reuoluentes, ita conscientias suas ab omnium peccatorum vitiorumque maculis & sordibus purgare studeāt, simulq; bonis & sanctis operibus atque orationibus adeò intenti sint, vt tantæ huius Ecclesiasticorum munerum

rum

rum largitionis verè participes fieri, & à pœnis temporalibus, vel in hac vita, vel in purgatorio luendis liberta, oculis Diuinæ maiestati esse magis accepti, protectione ipsius in tantis periculis ab hoste imminentibus digni, ad percipiendaque ab eodem dona varia magis dispositi, & tandem in cælo præmium æternum consequi mereantur, Amen.

INSTRVCTIO, Ad obtinendas Indulgentias Stationum Septem Vrbis Ecclesiarum, Septem Ecclesiis Cracouiensibus à S. Sede Apostolica concessas.

Quæ sunt necessaria indulgentias lucrari volenti.

AD obtinendas indulgentias alia sunt necessaria Simpliciter; alia ad Melius esse, seu secundum Quid, vt communiter Doctores loquuntur. Simpliciter ea dicuntur necessaria, sine quibus nemo potest indulgentias consequi. Ad melius esse necessaria dicuntur, sine quibus indulgentiæ obtineri quidem possunt; certior tamen quisque erit se eas obtinuisse, si ea præstiterit.

Primi generis sunt Dispositio bona lucraturi Indulgentias. Secundò, Intentio recta. Tertiò, Executio operum iniunctorum. Quartò, Modus eadem exequendi.

Qualis requiratur Dispositio in eo qui desiderat lucrari indulgentias.

Necessarium est, vt sit in statu gratiæ, id est, non sit sibi conscius alicuius mortalis peccati, quod nondum per Sacramentalem Confessionem, vel perfectam Contritionem fuerit expiatum. Indulgentiarum enim vsus in Catholica Ecclesia, vti semper fuit, ita & nunc est, non ad remissionem pœnæ æternæ, (quæ per Sacramentalem Confessionem, vel perfectam Contritionem cum proposito confitendi remittitur) sed ad remissionem pœnæ temporalis, in hac vel in altera vita in purgatorio luendæ.

Secundo,

Secundo. Si bonum conscientiæ testimonium non habet, & in peccato mortali se esse putat, debet Deo reconciliari altero ex his duobus modis; nimirum, vel Sacramentaliter peccata sua confitendo, vel contritionem perfectum habere procurando, cum propositis emendationis, sacramentalis confessionis, & spe veniæ à Diuina misericordia obtinendæ.

Scire autem oportet confiteri volentibus visitaturis has septem Ecclesias, (siue id faciant ob remorsum conscientiæ, siue maioris tantum deuotionis causa, liberum esse confiteri, vbicunque voluerint, modo id faciant Sacerdoti approbato ad Confessiones audiendas, & habenti in eos iurisdictionem) nec esse necessarium in aliqua ex Septem ad visitandum assignatis Ecclesiis id facere.

Qualem intentionem habere debeat lucraturus indulgentias.

Necessarium est vt habeat intentionem visitandi has Septem Ecclesias, hoc fine, vt nimirum indulgentias consequatur, & se ab æterna damnatione per confessionem vel contritionem ob culpam mortalem, si eam incurrisset, iam ante liberum, ab omni pœna temporali, quæ non semper vna cum æterna remittitur, virtute Satisfactionum passionis Christi, & Sanctorum illius liberet; & magis gratum oculis Diuinæ maiestatis reddat, vti non solùm à culpa, sed & à pœna liber; magisque dispositum ad beneficia ab illo percipienda. Vnde qui casu aliquo prædictas Septem Ecclesias visitaret, vel curiositate aliqua, aliavé intentione, vel alios ex occasione comitatus, nil de indulgentiarum lucro cogitans, indulgentias non consequeretur, cùm nec actualem, nec virtualem habuerit eas obtinendi intentionem. Non est autem necesse, vt in singulis Ecclesiis visitandis, hæc intentio formetur vel renouetur, sed sufficit initio visitationis, vel in præparatione ad eandem, habita.

Quæ facere debeat lucraturus indulgentias.

Visitare debet Septem in Ciuitate hac Cracouiensi Ecclesias, ab Illustriss. Episcopo auctoritate Apostolica ad id Designatas, & Septem Romanæ Vrbis Ecclesiis suo modo correspondentes, quibus Indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis his correspondentium, ex concessione S. D. N. PAVLI Papæ V. sunt applicatæ, nimirum;

1. Ecclesiam Cathedralem SS. Venceslai & Stanislai, correspondentem Cathedrali præcipuæ Summi Pontificis Ecclesiæ Saluatoris nostri

 Christi

Christi Domini, vulgo S. Ioannis in Laterano dictæ, cui indulgentiæ eiusdem Lateranensis Ecclesiæ sunt applicatæ.

2. Ecclesiam SS. Petri & Pauli Apostolorum, Societatis IESV, correspondentem Ecclesiæ S. Petri in Vaticano, cui indulgentiæ eiusdem Vaticanæ Ecclesiæ sunt applicatæ.

3. Ecclesiam SS. Trinitatis, Ordinis Prædicatorum, correspondentem Ecclesiæ S. Pauli in via Ostiensi, cui indulgentiæ eiusdem Ecclesiæ sunt applicatæ.

4. Ecclesiam Parochialem Beatissimæ Virg. Mariæ in circulo Cracouiensi, correspondentem Ecclesiæ Beatiss: Virg. ad Præsepe, vulgo S. Mariæ Maioris dictæ, cui indulgentiæ eiusdem Ecclesiæ sunt applicatæ.

5. Ecclesiam Collegiatam & Parochialem S. Annæ, correspondentem Ecclesiæ S. Crucis in Hierusalem dictæ, cui indulgentiæ eiusdem Ecclesiæ sunt applicatæ.

6. Ecclesiam S. Bernardini, Ordinis S. Francisci de Obseruantia, correspondentem Ecclesiæ S. Sebastiani extra muros ad Catacumbas seu Catatumbas dictæ, cui indulgentiæ eiusdem Ecclesiæ sunt applicatæ.

7. Ecclesiam S. Francisci eiusdem Ordinis, correspondentem Ecclesiæ Patriarchali S. Laurentij extra muros dictæ, cui indulgentiæ eiusdem Ecclesiæ sunt applicatæ.

Sciendum porro est, in visitatione harum septem Ecclesiarum iam nominatarum, nullum esse ordinem præcedentiæ constitutum, necessario seruandum (vti neque in hac nominatione & applicatione seruatus fuit) sed liberum esse vnicuique has septem Ecclesias visitare volenti, inchoare hanc visitationem à quacunque illi Ecclesia libuerit, vel magis commodum futurum erit.

Insuper, non requiri vt quis ieiunus eas visitet, vel certa & determinata diei hora, sed liberum esse, eas visitare siue ante, siue post cibi sumptionem, tempore quod magis commodum videbitur. Neque necessarium esse vt pedester, (licet hoc optandum sit, vt fiat ab iis, qui id sine suo inco mmodo facere poterunt) hæc Septem Ecclesię adeantur, sed liberum esse non solùm debilibus & infirmis, sed etiam sanis id facere curru vel equo. Neque requiri, vt continua sit ista visitatio & non interrupta, modo ea fiat intra vnum eundemque diem; nam licitè quilibet vnam vel plures ex septem Ecclesiis ante meridiem, vel ante cibum sumptum, vel ante aliqua negotia quæ expedire debet, visitare poterit, reliquas

quas

quas verò à meridie, vel à cibo sumpto, vel post confecta negotia pro opportunitate.

Alterum quod facere tenetur is, qui has Septem Ecclesiarum indulgentias obtinere vult, est; vt in singulis septem supranominatis Ecclesiis, supplicet Diuinæ maiestati, & oret ad Altaria ab Illustriss: Episcopo hunc ob finem (ad instar Altarium in Septem Ecclesiis Romanæ Vrbis ad idem assignatorum) assignatis, & Tabulis huius assignationis signis notatis, tali erecto titulo.

Altare Stationum VII. Vrbis Eccles. Pauli V. Pont. Max. Liberalitate. Martini Szyszkowski Epis: Crac. Cura.

Sed cùm non in omnibus Vrbis Ecclesiis, idem numerus altarium ad quæ fideles Domino in hac visitatione Septem Ecclesiarum supplicant, inueniatur, sed in aliquibus septem, in vno quinque, in aliis tria Altaria tali visitatione sint celebria, ob id quoque in his septem Cracouiensibus Ecclesiis, non idem altarium numerus in omnibus est assignatus, sed in qualibet Altaribus Ecclesiæ illi Vrbis, cuius ad hanc sunt indulgentiæ applicatæ, correspondens. Quare ad hęc solùm Altaria in quauis harum septem Ecclesiarum est Domino supplicandum, quæ sunt tabulis deputationis huius indicibus notata, & hęc sunt:

In Ecclesia Cathedrali.

1. Altare Sanctissimi Sacramenti in Sacello Regis Stephani.
2. Altare ad Sepulchrum SS. Stanislai & Floriani.
3. Altare Crucifixi penes Sacristiam.

In Ecclesia SS. Petri & Pauli Apostolorum.

1. Altare maius.
2. Altare Christi Domini, à dextris nauis transuersæ eiusdem Ecclesiæ.
3. Altare Beatissimæ Virginis Mariæ, à sinistris nauis eiusdem.
4. Altare SS. Trinitatis, & Conuersionis S. Pauli, aliorumque Sanctorum extraordinariis mediis à peccatis ad pœnitentiam à Domino conuersorum.

5. Altare

5. Altare Sanctorum septem Principum Angelorum, Angelorum Custodum, & omnium Ordinum Beatorum Spirituum.
6. Altare SS. Sigismundi Regis martyris, Casimiri Confessoris, cæterorumq; Regni Poloniæ Patronorum, & omnium Christi martyrum.
7. Altare SS. Gregorij & Caroli omniumque SS. Doctorum & Confessorum.

In Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis.

1. Altare maius.
2. Altare Beatissimæ Virg. in Capella Rosarij.
3. Altare S. Hyacinthi.
4. Altare Crucifixi ad gradus quibus ascenditur ad Sacellum S. Hiacin.
5. Altare S. Catharinæ Senensis.
6. Altare Annunciationis B. V. in Sacello Lubomirsciano.
7. Altare Christi Redemptoris in Sacello Miscouiano.

In Ecclesia parochiali B. V. Mariæ in circulo.

1. Altarè maius.
4. Altare Sanctissimi Sacramenti.
3. Altare Beatissimæ Virg. vulgo Loretum.

In Ecclesia S. Annæ.

1. Altare maius.
2. Altare Sanctissimi Sacramenti.
3. Altare Beatissimæ Virg. ad Sepulchrum B. Cantii.

In Ecclesia S. Bernardini.

1. Altare Beatissimæ Virginis, deuotione populi celebre.
2. Altare Cœnæ Domini.
3. Altare S. Francisci ad Sepulchrum B. Simonis de Lipnica.
4. Altare S. Bernardini.
5. Altare S. Annæ in Sacello eiusdem.

In Eccle-

In Ecclesia S. Francisci.

1. Altare maius.
2. Altare S. Antonii Patavini.
3. Altare Beatissimæ Virg. ad Sepulchrum B. Salomeæ.
4. Altare Depositionis de Cruce in Sacello Compassionis.
5. Altare Beatissimæ Virg. ad Crucifixum in media naui Ecclesiæ.
6. Altare Beatissimæ Virg. Dorolosæ in Ambitu.
7. Altare Misericordiæ in Ambitu.

In quorum Altarium visitatione, illud quoque scire oportet, quod supra, dum de Ordine visitandarum Ecclesiarum ageretur, dictum est; nullum in ijs visitandis ordinem ex obligatione seruandum, statutum esse; sed cuiuslibet libertati & deuotioni relinqui, vt siue ad hoc, siue ad aliud, siue prius siue posterius, preces ad Dominum fundat. Nec requiri necessario quodlibet assignatorum Altarium adire, sed sufficere ex vno loco ad diuersa successiuè Altaria Domino supplicare, non aliter ac si è propinquo coram illis oraret. Imo non solùm ad diuersa vel plura successiuè, orationes Domino ex vno loco oblatas pro indulgentiis obtinendis valere; sed etiam ad omnia quæ sunt in aliqua Ecclesia ad id designata. quod valde notandum est, pro illis præsertim, qui in concursu & frequentia populi, ad Altaria è loco vicino Dominũ orare non poterunt. Licet id etiam sine vllo populi concursu, ob maiorem deuotionem, vel quacunque alia ex causa licitè fieri possit.

Tertium quod facere tenetur quilibet has Indulgentias consequi desiderans, est, orare Dominum in quolibet ex assignatis Templis, pro Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ exaltatione, Principum Christianorum concordia, & pro Hæresum extirpatione, iuxta id quod S.D.N. PAVLVS PP. V. in hac concessione seu Apostolico Breui erectionis harum Septem Ecclesiarum requirit.

Circa autem hoc requisitum, notandum est, nullum certum orandi modum, vel precum qualitatem, vel numerum, præscribi à Sede Apostolica ad Altaria designata Domino supplicaturis, sed libertati illorum relinqui. Quare licitum est orare vel mentaliter, vel vocaliter, id est, siue corde, siue ore, recitare ad singula Altaria vel 3. Pater noster. & Aue Maria. vel vnum ex Septem Pœnitentialibus Psalmis, vel vnam partem Rosarij, vel Coronæ, vel aliquas quascunque Preces pro cuiusque arbitrio: ita ta-

ita tamen vt quidquid ibidem recitauerint, vel quocunque modo orauerint, id totum offerat Diuinæ maiestati ad intentionem Sedis Apostolicæ, rogando Dominum pro superius iam nominatis. Non est autem necessarium ad singula Altaria assignata, habere hanc actualem intentionem, orandi pro his rebus quas literæ Apostolicæ præscribunt, sed sufficere habere eam in ingressu Ecclesiarum, vel inchoatione orationis in illis, vel in egressu è domo ad visitandas has Ecclesias, vel ad id præparatione.

Quem modum in præstandis iis, quæ ad obtinendas has indulgentias præscribuntur, tenere debeat is qui earum particeps esse desiderat.

Vltimum ad has indulgentias obtinendas necessarium est, vt supradicta fiant modo debito, hoc est, obseruando diligenter circumstantiam seu conditionem à Sede Apostolica appositam, DEVOTE prædicta præstandi; id est, debita cum reuerentia & deuotione, nimirum religiose sancteq; Ecclesias nominatas visitando, & attentè preces in ijsdem ad assignata Altaria fundendo, & humiliter Domino supplicando, eaq; quæ Summus Pontifex iniunxit ei commendando.

Has ergo indulgentias lucrari volenti, hæc quinque sunt necessaria.

1. Esse in gratia Dei, & non esse sibi conscium peccati mortalis quod nondum per Confessionem vel perfectam Contritionem cum propositis Confessionis Sacramentalis, emendationis, & spe veniæ obtinendæ fuerit expiatum.
2. Habere intentionem obtinendi has indulgentias in Septem Ecclesiarum visitatione.
3. Septem Ecclesias supra nominatas adire.
4. Ad Altaria in eis assignata Domino supplicare, siue corde, siue ore, plures vel pauciores preces fundendo, iuxta propriam deuotionem, orando pro S. Ecclesiæ exaltatione, pro concordia Principum Christianorum, & pro Hæresum extirpatione.
5. Vt hæc visitatio Ecclesiarum piè & religiosè peragatur, & orationes in eis fiant debita cum deuotione & attentione.

Quædam lucrari indulgentias cupienti vtilia.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, quilibet sufficienter instructus esse poterit, de iis quæ ad obtinendas indulgentias Stationum harum Septem Ecclesia-

rum, sunt simpliciter necessaria; quæ Requisita primi generis Theologi appellant: nunc breuissimè de iis, quæ non simpliciter necessaria, sed valde vtilia cuilibet has Ecclesias visitaturo esse possunt, & Secundi generis requisita dicuntur.

Alterius igitur generis ad obtinendas indulgentias Requisita, quæ secundum Quid, seu Ad melius esse, à Doctoribus vocari diximus, ea sunt, quæ cupientem consequi indulgentias, magis ad easdem obtinendas disponunt; & de eorum effectu consecuto certiorem magis reddunt; talia sunt: Confiteri Sacramentaliter, & communionem sacram sumere, ea die qua est visitaturus Ecclesias, etiamsi non sit sibi conscius peccati mortalis; Conteri de peccatis, etiāsi se putet esse in gratia Dei. Ieiunare illa die; Largiri eleæmosynam pro sua deuotione pauperibus; Pridie, vel ipso die, ante vel post visitatas Ecclesias, humi vel in asseribus cubare; flagellis corpus affligere; cilicio, catena, vel funiculo nodoso inter eundum ad carnem præcinctum esse.

Ad idem pertinent Circumstantiæ quædam, & non vulgaris diligentia, cum quibus fiunt ea, quæ ad obtinendas indulgentias, simpliciter necessaria esse diximus; tale est non solùm in septem Ecclesiis visitandis deuotè preces Domino offerre, sed etiam inter eundum cauendo à iocis, risu, verbis ociosis, curiosa & non tantum perniciosa, vel scandalosa transeuntium circumspectione, abstinendo etiam ab honesta colloquiorum recreatione, in silentio progredi, & mentem piis considerationibus occupare, vel Rosarium, Coronamvè Deiparæ, aliasvè preces in memoriam Passionis Dominicæ, & eius Beatiss: Matris recitando, vel pia deuotaque Colloquia cum alijs modestè instituendo; procurandoq; vt hæc breuis & modica ad Septem Ecclesias peregrinatio, fiat cum conuenienti homini Catholico in tali opere, tam interna quam externa, id est, tam animi quam corporis compositione.

Quilibet enim horum aliqua obseruans, non solùm se magis disponet ad has indulgentias obtinendas, & magis certum de eorum lucro reddet, (eo quod iniuncta cum non vulgari diligentia executus fuerit) sed etiam re ipsa experietur in se, maiorem ex hac breui peregrinatione deuotionis affectum, & maiora pietatis indies incrementa. Quæ omnibus Diuina bonitas per passionem vnigeniti sui cunctorum bonorum originis abundè largiri dignetur,

AMEN.